


VITA ET MORES  
 Lithvanorum  
 IN BORUSSIA  
 Sub districtu Insterbur-  
 gensi & Ragnitensi de-  
 gentium, brevi delineatione  
 adumbrata.

per  
 ERHARDUM Wagner  
 Insterb: Borussum.



REGIOMONTI  
 Typis Osterbergerianis per Johannem  
 Fabricium Anno 1621. V.

VIRIS  
AMPLISSIMIS, PRUDENTISSI-  
mis, Consultissimis, politiori doctrina multarumq;  
rerum usu & experientia instructissimis,

Dn. Consuli, proconsuli totiq;  
ordini Senatorio,


Dn. Judici cæterisq; scabinatus  
Assessoribus, Inclytæ Reip: Insterburgensis

NEC NON

Literatissimis, Spectatissimis, piâq; eruditione & eru-  
ditâ pietate Præstantissimis Viris, ejusdem  
Reip: civibus non ultimi commatis.

Dn. Crispino Schimmelpfennig  
Dn. Alberto Boltz  
Dn. Wilhelmo ab Entzebeck  
Dn. Iohanni Ruckerlinck  
Dn. Iohanni Pratorio  
Dn. Christophoro Volberto  
Dn. Davidi Wagnern.

Dominis Mecænatibus, Promotoribus, favori-  
toribus, amicis & fratri suo summe &  
atatem colendis, hæc pagellas  
lubens meritoq;  
inscribo, dico, offero.



ED non est, Viri Literatissimi,  
quod arduum expectetis negotium, am-  
bitiosumve doctrina splendorem. Neque  
enim strages dabo Europaeas, nec sur-  
bundam Martis intemperiem.

quique impius aræ

Stultos armavitque homines, & stravit in arvis.  
Multo minus perplexos griphos Sophistarum; Aut  
illorum jejunam curiositatem, qui intempestivis rixis,  
ventosaque disputationum jaectantia pro focus & aris pu-  
gnare non verentur, ubi amica nonnunquam manu-  
datione opus fuerat. Has inquam & similes (si subtilio-  
ribus placeat!) subtilitates & sublimitates non est quod  
expectetis. De imperita gentis imperitis moribus, impe-  
ritie saltem balbutire quaedam volui, magna magnis re-  
linquens, monente ovidio:

Nat: Co-  
mes lib: 10  
de Vanata

Grandia contentur grandes, ego parvus obibo.  
Parva decet vires noscere quemque suas.

Ovid: lib.  
6. Metae

Frustrà itaque profundum sapientiae alveum hic rimabi-  
mini. Verum ut ut sit, Vos tamen has meas lucubratiuncu-  
las quales quales ne dicam serenam sed solitam accepturas  
esse fronte confido. Partim quia grati mei animi, publi-  
ci testimonii instar esse possunt; Partim quia aureos mon-  
tes sive majora me dare non posse, neminem vestrum  
esse arbitror, qui ignoret;

Non ebur neque aureum  
mea renidet in domo lacunar;

Horat. 1.  
2. Carno.

Non oda: 18.

Non trabes Hymettix

Premunt columnas, ultima recifas  
Africa, neq; Athali

Ignotus hæres regiam occupavis,

Nec Laconicas mili

Trahunt honestæ purpuras clientes.

*Grati autem animi testificatione me vobis obstrictum  
semper fuisse, vel illud liquidò me convincere posset;  
Quod pars vestrum stadium ac studium hoc meum de-  
currenti acutissimū admovent thyrsum; Quoties enim  
animum meum virtus vestra eximia perambulavit,  
toties torpescere me cum Megarensibus, aut domi disten-  
tā in pelle iurpiter delitescere vetuit. Quid multus?  
Pars etiam vestrum à pueris lubentiores mihi fuerunt  
quàm lubentia est. Quare mactò vos, Viri Literatissi-  
mi, hac meā qualicunq; dedicatiunculā. & ut benivolentem  
mittentis animum potius, quàm levidense hoc munu-  
sculum respiciatis rogo, Memores agricolæ illius, Regi  
suo, cuius ex simplici suo ingenio aestimabat animum,  
rapam agello suo insolenti enatam magnitudine, hilari-  
ter offerentis, nec spe sua vanati. DEVS vobis propter  
filium suum inexhaustum illud penu omnis bonitatis  
omnem horam & gressus fortunet, quo diurnare felicis-  
simè possitis. Valete. Dabantur Tilsa è museo meo.*

Vester & vestras

ad quævis

Promptissimus

Erhardus Wagner

Inst. Borussus.



AM sol nostro se subduxerat Ho-  
rizonti, & Luna Regis sui beneficio  
splendere aliquantulum, ceperat cum  
quiete languida membra poscerent;  
Cum q̄ plumis sese insinuassent, nescio  
qui animi tumultus dulcissimum so-

porem oculis excusserunt, Itaq; cervicem fulciendo,  
corpus per inquietudinem hinc inde rotando, stratū  
in multiplices rugas contraxeram. Quas dum ere-  
ctus explicare conor, Ecce molientem subito Nu-  
men aliquod interrumpit, Et tu verò, inquit, na-  
tura sanctissimas leges invertis? Dici maximam  
partem laboribus destinata turpissimis somniis  
terere non erubescis? Noctem v. strepitus & vigi-  
lianam domitricem, steriliū curarum ineptiis in-  
fomnem agere? Ego insolentis & insueta rei novi-  
tate perterritus.

Obstupui, steteruntq; comæ & vox faucibus hæ- Virg: l. 3.  
sit, sed illud nihilo fecius semianimem hunc in Æneid.  
modum interpellare instabat; Adeò igitur rerum o-  
mnium ignarus es, ut superos cuncta vendere labo-  
ribus nescias? Crede equidem tellurem hiantibus  
rimis inferos irtiū prodituram, quàm ut ullus glo-  
riæ litare aut ad suspiciendum fastigium virtutis si-  
ne laboriosis ingeniū exercitationibus aspirare  
possit, Atgere itaq; Alumne, occupantium mea  
subsellia numerum si non profus ejuraveris, annue  
dictis, exue curam præcordiis, preme hærentia  
Herculis vestigia in bivio, & sic preciosissimas il-

Ias merces precio quod Natura fecunda mater in-  
doli tua non negavit, emisse te non pœnitebit;

Ovid: l. 2.  
de ponto  
Eleg: 9.  
Buchuanus  
in Iephthe  
Tragedia.

*Adde quod ingenuas didicisse fideliter artes*

*Emollit mores, nec sinit esse feros.*

*At qui sopori deditus ignavia est.*

*Et vitam inertem pecudis instar transigit.*

*Nil interesse opinor, an sit mortuus,*

*An morte vitam obscuriorem duxerit.*

*Cum par utrumq; supprimeat silentium.*

Ad tam humanam invitationem rediisse mihi  
sanguis videbatur, vultusq; pristinum suum statum  
sensim revocabat, jamq; audacius in benignitatem  
Numinis inquirebam, cum loquentem interim nul-  
lum excipiebat responsum, in auras enim quodcum-  
q; tandem fuerat, sese resolverat. Sed quia me A-  
lumnum & subsellia sua nominasset, non obscure  
colligere erat Palladem, Neptuni & tritonidis pa-  
ludis filiam, illud fuisse numen. Cumq; aurora no-  
cturnæ imaginis terrorem diluisset, illud mihi vo-  
tis, vel quia plerumq; à nobis res formidabiles ex-  
torquere ea consueverunt; Vel quia me futuris præ-  
miis inescârat, propitiare studebam. Nec perfun-  
ctoriè me impoiteram vacaturum literarum studiis,  
nec permissurum me importunis curarum ponderi-  
bus (quibus si non impediri certè retardari bonus  
impetus posset) supra modum angit, tam sanctè vo-  
vebam, quam arctè paulò ante spiritum timor sup-  
prefferat, Appetente igitur illustriori lucè plumis  
emergebam, cumq; peractis Precibus cubile liquis-  
sem, non cogitanti quidem rusticus infans objici-  
tur (me namq; Lithvanicus Pagus, non omnis cer-  
tè expers amœnitatis, tum habebat, & si nomen

placet

Placet Aygarn dicebatur) Ille nempe nullius curâ,  
 & ut primum solem aspexerat nudus in arenam  
 Projectus, penê se jacentes lapillos confundebat,  
 nec umbra radiorum solarium ætus tenerrimis cer-  
 viculis temperabat, nec acutissimis illis quibus in-  
 hærebat scrupulis, robustum etiã corpus afflicturn,  
 ad vagitum deducebatur. Mirabar rarissimam æ-  
 tatulæ istius patientiam, & argumentum quo fidem  
 meam Numini paulô ante datam liberare possem,  
 non absonum fore credebam, siq; paulô altius in  
 Vitam & mores gentis Lithvanicæ pro ingenii fa-  
 cultate inquirerem.

Omnes quidem omnium Lithvanorum, Rus-  
 siæ, Podlasiæ, Massovix confinium, mores ac ritus  
 exquisitâ calami crenâ valle delineare, politioris  
 doctrinæ, altiorisve esse experientix, quàm ut ino-  
 pis ingenii mei sterilitas acquisiverit, is demùm  
 rectè judicabit, Qui latissimam illorum Regionem,  
 vitæq; mirabilem prorsus faciem, vel per tran-  
 sennam saltem introspexerit, Sicco itaq; pede il-  
 los prætereundo, horum duntaxat vitæ rationem  
 pro re natâ perstringere placuit qui Prussix con-  
 termini & sub districtu Insterburgensi & Ragnit-  
 tensi ætatem agunt.

Gens hæc ut supra fidem robusta, sic æternis  
 est nata laboribus, illis ad primum galli signum  
 ante nascentem solem se accingit, nec accerrimè  
 desudantem [nisi ultimus revocat vesper. Primaq;  
 statim juventutis rudimenta manserum & pecu-  
 dum custodiã deponit, confirmatiorem verò æta-  
 tem aratrum excipit, nec infimi illi dedecoris notâ  
 infames sunt, qui vomere proscindere tellurem ne-  
 sciunt,

sciunt. Quo verò cæteris gentibus eminentior Lith-  
vanis vis corporis, eò animi est demissior. Nullis  
omninò imbuuntur literis, nec in Musarum castris  
feros animos vel aliquali literarum humanitate  
mitigant, sed adeò illarum rades sunt, ut nonnulli  
nec vulgatissimas preces memoriâ teneant. Fortè  
quidam cum uxore sua de abluendis vitiorum suo-  
rum sordibus, quibus per totum vitæ cursum mi-  
serrimam animam incestârat, Confessionarium su-  
um adierat, jussus autem culpam deprecari magis  
is mutus fuit quàm piscis, & pertinaciter ad con-  
fessionem hortanti se precari non dedicisse respon-  
dit, præsto autem suam esse uxorem, quæ implere  
vices utriusq; aptissimè posset, eamq; nutu capitis  
adesse & precari iussit. Illa uti quæ supra maricum  
saperet, strato primum in supplicem cultum corpo-  
re, mox pro se & viro preces fundere non dubita-  
bat. Sed non potuit (ut par erat) Pastor stultissi-  
mum tolerare errorem, & absolutâ uxore, simpli-  
cissimum Confessorem non posse sarcinâ tam gra-  
vi levâri docuit, nisi ipse prius sordes quas intus  
haberet Numini confessus & deprecatus esset. Tan-  
ta & tam fædâ illi inscitix rubigine caligant! Cul-  
tum alias divinum, si ex crebris gemitibus æsti-  
mandus, satis devotè peragunt, & licet modestum  
aurium obsequium verbi ministro præbuisse semper  
videantur, cælestium tamen rerum curis nunquàm  
vacant attentius quàm ubi potu incaluerint, tum e-  
nim hymnos modulari, invocare DEum, sua defle-  
re piacula alter alterum docet, ut sæpè impurum  
diversorium sacratissimum mentiatur delubrum.  
Pastores etiam suos ingenerato quodam affectu co-  
lunt



lunt, mireq; suspiciunt, nec injuria. Quos sylve-  
 stres illorum animos cicurare, & ex obscurissimâ  
 nocte barbariæ eruere, non sine assiduo labore oportet.  
 Pertinax etiam illis superstitionis ingenium  
 est, cujus utiq; laberculâ in hunc diem non leviter  
 infuscati sunt. Nec abstinere hodiè quin finitâ fe-  
 liciter messe evacuatisq; spicis viri gallum, gallinam  
 mulieres mactent, hancq; hæc, illum ille devoret.  
 Quod nihil aliud esse, quàm rivulos ex profundis-  
 simo barbariæ fonte, quis non videt? Et si dubitas  
 barbaros olim Deos suos sacris demulxisse, Naso-  
 nem ita canentem consule:

*Vana laborantis si fiant vota Coloni  
 Accipiet gravaide cur suis extra Ceres?  
 Nec dabit in consa jugulum caper hostia Baccho  
 Musta sub inducto si pede nulla fluant.*

Ovid: lib: 2  
 de Ponto  
 Eleg: 9.

Reperiuntur insuper nonnulli, qui nescio quid  
 ferè Echnicarum reliquiarum olent, manibusq; quot  
 annis sacra faciunt; Quamvis mos iste execrandus  
 Pastorum vigilantia jam penè inter illos rareseat.  
 Nec minus ridiculum esse videtur, quod vitæ cic-  
 darum, quarum ingens apud illos copia est, tam re-  
 ligiosè parcant; Hujus tam stultæ clementiæ cau-  
 sam ab illis sci stitantes, immanes esse injuriarum  
 ultrices, & atrocissimâ vindictâ vestimenta mordi-  
 cùs profcindere respondent. His & similibus nugis,  
 veneficiis etiam, & superstitiosis hariolationibus  
 toti sunt infames. Cumq; profus ad ea obduruerunt,  
 perpetuâ correctione opus habent, quamvis nisi mi-  
 nis modis plectuntur, nec tum satis respiscunt per-  
 tinacissimi animi. Nam ut ignis è filice non uno  
 concussu elicitur, sic in frigido isto pectore non pri-  
 mo

mo admonitionum ista accenditur latens & lan-  
guens in illis vis ista boni. Corruptunt eos Judi-  
ces in delictis illorum conniventes, nec quicquam  
magis saniori illos mente induit, quam crebra ri-  
gidissimaq; castigatio iudicis, & Frequentissime se  
invicem ob rem ne titivilitio dignam in jus voca-  
re viriq; pariter mulieres sine omni reverentia ju-  
dicis litigare consueverunt, viros dum causam a-  
gunt sæpe mulieres ridiculè prævertunt dictaq; ut  
futiliter nimis prolata corrigunt, parùm attenden-  
tes; Decere Mulierem silentium, virum verò respon-  
sionem inter viros. Sordidati crimini suo velum  
aut fucum difficulter inveniunt, sed facilè miseri-  
foricis instar seipfos produnt; non desunt tamen  
qui vulpinâ quadam simplicitate palliare se etiã di-  
dicerunt, In re militari, nisi vi etiam adacti, timi-  
dum armis corpus ægrè exercent, hostiumq; incur-  
sionibus trepidè resistunt, ut enim unum atq; alte-  
rum cecidisse ex suis animadvertunt, fugam capes-  
sere quàm sublatos ulcisci malunt. Impavidi tum-  
demum fines suos tuentur, ubi & fortissimis duci-  
bus & prædiario milite munitos se esse intelligunt;  
Nec ingeniosiores sunt sarmatæ ( hi enim violento  
imperu incessere eos quantannis plerumq; solent)  
ad damna illis inferenda, quàm hi sunt à depre-  
hensis & captivis ad pœnas sumendas. Famem  
quam labor illis indefessus inexplebilem ferè pa-  
rit, non profusâ luxurie sed mirâ cibi vilitate sati-  
ans; Pane, quem prodigiosa conficiunt magnitu-  
dinis, contenti sunt cibario & fursuraceo; nec in-  
ferri renibus calculum putant, si adhaerentem cru-  
stæ cinerem deglutiant, sed plerisq; inde candida  
illa

Ma series dentium credo, quorum etiam ægretudine rarissimè vexantur. Victu deinde parabili solidoque, oleribus nempe pisces & rapis, hisque omnibus lacte temperatis victitant, conditura enim loco lac semper habent, preciosorum aromatum usum nescientes, nec qua exercentur apta satis lingua est, ut multorum discrimen edat, præter solum piper, crocum & Zinziber. Laridum spississimo fumo vestitum & arengas muriâ conditas in deliciis habent; Has antequàm jejunis & latrantibus intestinis obijciunt, prunis inponunt, nec quicquam falsedinis ex iis vel radentis cultelli acie, vel aquâ mundatrice detergunt, dignus nempe cibus ut salivam cieat! Illud salignis torrent veribus, panemque benè falsum supponunt, ad recipiendum adipem, qui per ignis calorem extrahitur. Caras aut pisces si diei alicujus clementia cœnaturis fortè induget, non cuilibet pro libidine dapes diripere licet, sed, (nescias an id fiat reverentiâ ætatis, an consuetudine, an quod, honor sit verecundis auribus, deat qui in illotis manibus ad mensam confluant) pates illam tantum mulierem distribuendi Portiones arbitrium est, quæ longâ annorum serie ceteris prætat. Potus vero immensa flagrant cupiditate, sic ut ipsos Germanos (quamvis minimè tyrones) erudire in hac palætra possint, quanti eam quanti

*Nisi dolia ponderosa Zythi  
Tantum educere ventre ruelluoso.*

Taubman:

Vix etiam cerebro elleborum mederetur, si acerrimum hoc bibendi studium sanior Magistratus non quodam modo cõr.uisset. Prohibentur enim  
compota-

computationes & paganalia prohibitu institueret  
Quamvis nunquam in legem commississe inveni-  
tum nonnulli arbitrantur. Dies sanctorum illis ad  
ad publicam laxatur hilaritatem, cujus usuram, mi-  
hi crede, paulò avidius expectant, quàm nautæ  
ventorum rabie diu multùmque jactati tranquillum  
portum. Hic illos lurcandi, tubercinandi uxores  
ducendi, nubendi viris liberâ donat potestate. Cir-  
ca hoc itaque tempus turmatim ad templa conflunt,  
præconemque legum fæderis conjugalis non leviter  
defatigant subsequentes deinde dies nuptiarum ri-  
diculis planè ritibus terrere consueverunt. Et qui-  
dem non peractâ statim copulatione fas est Sponso  
suam desponsatam in amplexus sollicitare nisi  
illa primus ad triduum circiter abfuerit, ac genio a-  
pud suos vel parentes vel sanguine junctos indu-  
ferit. Hoc demum præterlapsò, Sponsi conciliator  
(quem ita appellant) cui denaria aut major se ag-  
glutinat cohors, vergente jam sole ad occubitum,  
ad eam mittitur, præeunte curru, qui ob mirabilem  
aspectum omnes facillè prætereuntium oculos in se  
convertit. Circumducitur enim linteo velamine,  
quod caruleis lineis viridisque fertis undiquaque va-  
riant, hocque tam insolenti vehiculo desideratissi-  
mum pondus, nupta videlicet ad sponsum deferen-  
da est (Cumque destinatus se aperit locus Concilia-  
tor equum celerius ire calcaribus monet, & quia  
tintinnabulum de equi collo dependens turbas è  
domiciliis evocat, rogat; Num illis peregrinos  
homines videre vacet? Nequaquam respondentes,  
currus subsequens comitatus magis magisque de ho-  
spitii benignitate sollicitat. Ad quid verò venisse,  
aut

420

aut quo errore eò esse deductos percontantibus,  
Is qui paulò loquacior cæteris videri vult, nullus  
nos error refert, huc tendere iussit, Index nobis  
fuit purpurei fruticis decor venustissimus, nobis  
verò quia non immaturus videbatur, decerpere  
cum venimus, (quã ænigmatis umbrâ Sponsam  
nempe innuunt.) Quibus auditis, aditus illis ex-  
iguo ære venalis est. Hic primùm equos in gy-  
rum flectere videres; Hic in sinistram, ille in dex-  
tram corpus pronius detorquet, fit plausus, totaq;  
domus ululatus fremit. Mox qui cognationis  
jure sponsæ proximus, ingenti prorumpit scypho,  
Tardè fortassis fidem dabis narranti sed anserem  
et canem Socratis iratos habeam nisi tantæ capaci-  
tatis sit, ut bajulantem satis etiam robustum in  
terram deprimere mole suâ queat, Hunc, dum equis  
adhuc insident, potius cæca cupidine ducti, exci-  
care tenentur. Deducuntur postmodum in contu-  
bernum quod ignei vapores ex fictilium æstu to-  
tum impleverunt, ibiq; stratâ jam extensissimâ  
mensâ confidere jubentur, illis ex adverso locan-  
tur, qui à sponsæ partibus stare volunt, numero  
quidem equales, sustinendo autem num onere num  
verò beneficio dixeris, impares, His enim præro-  
gativâ quadam, & ingratiâ fortassis licentiâ one-  
randi sua pocula exiguâ veluti libatione, perfrui  
licet, quæ deindè respondentibus ad summum  
perfundunt. Increbrescit interim bibentium cer-  
tamen, satisq; curiosè à poculorum feriis se invi-  
cem dehortantur, neq; aliter quàm viciosam nu-  
cem vacuas manus damnant. Hunc verò virum,  
fortemq; se præstitisse athletam ajunt qui strenuè

Nec adulatorio gutture bibendo, semianimis in  
terram procumbit, reducis Zythi fontibus solum  
penè inundat, locumq; turpissimo inquinat odore  
Nec ad voluptatem tantùm hæc Lichvanica libi-  
do est, sed in morem strictissimæ disciplinæ ab il-  
lis colitur; blandientium enim verba quod ad ce-  
revisæ injurgitationem non possunt, id fustium  
præstat acerbitas. Si tamen quicquam laudis in  
tàm madido collegio esse potest, hoc certè mere-  
tur maximã, colloquia eorum in obscenos risus nõ  
defecti, neq; ut ebrii solent, in cupiditates & la-  
sciviam tum proclives sunt, sed potius illis est Bac-  
cho sepeliri quàm Veneris neccebris deliniri.  
Sponsam interea temporis ejus, gregales non mi-  
nor Lyæi insania invadit. Vocem miris exercent  
cantilenis, Iuporum ululatum potius quàm con-  
centum musicum præ se ferentibus. Quasq; titu-  
bare cerevisia fecit, ut pes pedem sequi vix possit,  
illæ tàm eleganter choræas ducere, nec ad saltan-  
dum Cynædos magis aptos esse, barbaris suis ra-  
tionibus sibi persuadent. Ebrium hunc tumultum  
dissipare quodammodo videtur Paranympus cur-  
rûsq; præfectus, qui id sibi negotii datum habet,  
ut circum-curritantes arceat, ne quis eorum Vehi-  
culum, cujus meminimus, temerè attrahat, pro-  
fanari aliàs tàm sanctum spectaculum arbitran-  
tur. Nemini præter hunc modèstior ebrietas pe-  
des relinquit idèo ad majestatem veluti composi-  
tus, baculum rutã altisve virentibus involutum  
herbis manu gerat, quo fores ter quatiens, exclam-  
mat: *Mittite Quæstiam*. Verum ne solus exitus sce-  
nicis mimis, omniq; careat utilitiã, Nuptiales pu-  
elias

Illæ rutâ redimitæ, in simillimas se transformant  
 species, frontesq; velo operiunt, Diceres Plautino  
 Amphitruoni Iovem non fuisse similiorem, his se  
 pari amictu sponsa immiscet, copulatisq; manibus  
 quasi omnes excessissent ex potestate mentis nunc  
 circuli, trianguli nunc, mox quadranguli imagi-  
 nem, prout malè sobriis vestigiis ducuntur, repræ-  
 sentant. Quibus ita confusis sponsa denuò quæren-  
 da est, Quam cum tandem inveniunt rectâ ad fo-  
 cum ducunt, ubi lamentabili prorsus affectu, torrem  
 extrahit, interq; lachrymas, & nescias veros an-  
 fucatos singultus hisce querelis abiturum suum pro-  
 sequitur: Vale mea flammula! Valetet parietes vos  
 q; penates! Eheu quantâ viduamini columnâ! Va-  
 lete Genitores dulcissimi, quæ me absente vobis  
 coquet? Quæ, proh dolor! molet! Eheu ut senii ve-  
 stri solamen transit! Hæc omnia tristissimo veluti  
 spiritu effundit, nec parum ad fiebilem affectum  
 facere videtur, si capite semper nutet, & unguis  
 in referatos inserat dentes, aut complofis mani-  
 bus genua amplectatur. Hæc dum aguntur, tube-  
 rossissimi interim equites eam ante fores prætolan-  
 tur, & ut exeat, currumq; occupetruantibus hor-  
 tantur verbis. Faceffit illa tandem monitus, non  
 sine repetitis suspiriis & veluti invita. Corripit  
 auriga lora, it cælo temulentorum clamor, totaq;  
 vicinia tibiæ tympaniq; clangore percrepat. In-  
 via non impinè fieri existimant, si quid illa, licet  
 provocata, effuriat, tam superstiosè itaq; silere,  
 eam decet tanquam Sigalion assessorem se illi præ-  
 buisset. Circumequitantes aut cerevisiæ virtutes  
 laudando (omne enim vituperant convivium, si

ros sobria vestigia domum redxerint) aut cer-  
tando agilitate equorum molestissimas via mo-  
ras fallunt. At ubi pago aut luco cuiusdam sese ap-  
proximant, omnes pariter tenue infant cornu,  
cujus strepitu, puerili profus credulitate decepti,  
dæmones aut spectra profigari autumant. Ad spō-  
sum jam perducta, ignis primū ad id excitati  
humanitas eam excipit, ubi quā potest celeritate  
currum linquit, quippe omnes tanquā crudelis-  
simi vastatores gladios eminus cominus vibrando  
in eum ruunt, nec ferire desistunt, donec in par-  
tes collabatur. Nulla deinde cibi aut potus sua-  
uitate bonus ille trutex refectus, in cubiculum se  
illatebrat eumq; cupidus fructuum depeculator  
mox insequitur. Rubescente aurorā cubantem  
variis puellæ cantilenis protebant, donec egre-  
diatur, & foco non sine munusculorum erogatio-  
ne se iterum applicet, (est autem munus hoc texti-  
le plerumq; versicoloris cinguli genus.) Egressa  
verò demissis & immotis sedet oculis, totusq; ha-  
bitus pudoris speciem præ se ferre videtur, no-  
cturni namq; duelli sibi conscia, veretur ne quis  
amplexus forte & virginitatis spontaneam jactu-  
ram exprobrat; hæc ita tacitè apud se ruminan-  
tem, si quis vel corporis ridiculis gesticulationi-  
bus, vel opportunis salibus ad risum provocat,  
is liberaliori honoratur munere. Per totum hunc  
diem nisi esu carniū Neogami abstinent, grande  
perpetrasse facinus creduntur. Recrudescit pro-  
inde bibentium infame certamen, commisso ve-  
luti quodam cyclopum prælio; donec bibaces con-  
vivas. (pro Zythi pernicem!) vacua dolia dimit-  
tunt



tunt. Nova nupta novi habitaculi penitiores recessus inretim curiosis oculis perscrutatur. Excitant autem illi domos suas terete saltem ligno, sibi pecorib; communes, illasq; stramento operiunt, fumo nullus nisi per fores datur exitus, cui longo usu ita assueti, ut illum ne quidem sentiant. Nec est, quod hoc in illis mireris, cum cujusvis aeris, omniumq; cæli injuriarum patiensissimi sint. Adeoq; robustâ illis natura concessit indolem, ut quamprimùm partum mulieres, nullius interdum obstetricis ope, enixę sint extemplò surgant. Mirum dictu!

Virge lib:  
4. Georg

*Et cum tristis hyems, etiam nunc frigore saxa  
Rumperet, & glacie cursu franaret aquarum*

Puerpera tamen tenerrimo factu per longissima viâ intervalla ad templum defertur, cauponam ingreditur & ita cerevisiæ aut vini adusti sæpius impletur, ut ebriam mentem (sædum potandi cacœthes! omnes nervi linquere cogantur. Fortè duas mulieres liberis suis recens natis convivire casus voluit, quarum alteri paulò post, oculos potus adèò opacaverat, ut suum infantem dum abiret, non agnosceret, sed pro suo alterius auferret. Posterà luce cum quies densiores, nebulas crebro discusserat, peregrinum fasciarum colorem animadvertit, mox ut infantulum relaxârat, famellam esse deprehendit, quæ puerulum nudius tertius favente lunone peperisset. Ut ergò mentis exilio se heri errasse cognovit, ad compotricem migrare, & commutatũ suũ infantulum repeterẽ coacta est, Egregium sanè muliebris temperantiæ specimen! Veramejusmodi facinora ita apud illos increbuerunt, ut nec digna satis habeantur, quin in constrinis recitentur.

Vesti

Vestitu gentem hanc superbire pauperies vo-  
cat; nec est quod pictor hinc arti suæ diffidat, aut  
peniculum consulat quo vestitus genere Lithva-  
nos, sive eos nudos pannumq; sub alis pingat, ut  
quidam Germanos novorum habituum avidissi-  
mos argutè illuisse fertur. Hi enim gentilitijs su-  
os habitus non mutant, Viri laxis togis & ad ge-  
nua ferè demissis amictuntur, securi, gladii loco  
tergo dependente. Mulieres forculatis incedunt  
tunicis, quas suâ industriâ quælibet texere con-  
suevit. Cujus verò reticulum sive vitta flavedi-  
nem induit, illa de plebis tabulâ nomen suum si  
Diis placet)eruisse sibi persuasum habet, crura de-  
inde fasciis, quæ cæruleum ut plurimum acce-  
perunt colorem ambiunt, idq; illis pro communi  
tibiæ velamento est. Sutores ad decies cente-  
na vix apud illos perveniunt, cum pauci operâ  
illorum indigeant, Quilibet enim calciamenta su-  
a ex levi quadam cortice consuere edoctus est. Hinc  
calceariorum districtus Insterburgensis tam dives  
est, ut eorum quindecim millia ibidem contineri  
Serenissimus Princeps Albertus senior inclytæ me-  
moræ, non minùs faceretè quàm rectè quondam di-  
xerit. Quibus tamen calceis indui clementior for-  
tuna non invidet, illæ (solas nimirum mulieres  
nova hæc parsimonia incessit) tanti eos faciunt  
precii, ut iis, quibus ad templum paulò longius  
migrandū est, ad illius usq; limen sordidum coriū  
manu gerere nō sit infuetum. Præter hæc plura  
etiam pauperies illos perdocuit; omnia nem-  
pe suppellectilia sua tam affabrè effingunt, ut artifi-  
cio suo omnes artificum manus provocare possint.  
Et quamvis natura in multis Genti huic parcam

se se præbuit novercam, hæc tamen maternè illi  
consuluisse videtur, quod animo eam esse voluerit  
confidentissimo, quem neq; in ipso Fortunæ equu-  
leo despondet. Nec quicquam DEO & naturæ ef-  
se repugnantius ait, quàm ut humani generis o-  
blivionem concipiat, illiq; panem aut victum de-  
neget, præter morem enim aliàs frustrâ illi den-  
tes esse infitos, nam.

Matr: libe  
130

— — — — quid dentem dente jurabit  
Rodere? carne opus est si satur esse velit.

Quantum autem hoc propitiæ Naturæ argu-  
mentum sit, populos hos magnis morborum fasti-  
diis rarissimè etiã tentariis demum incorruptus e-  
rit arbiter, qui vitam suam ad Medicorum nutum  
miserè instituere cogitur, Quod si tamen æternâ il-  
la lege qua DEUS in hoc infirmitatis stabulo, nihil  
stabile aut firmum præter verbum suum esse volu-  
it, eveniat, ut corporis dolore corripiantur, tan-  
tâ illos patientiâ perferunt, ut impiè eos simulasse  
nonnunquam existimes. Ingraveſcentibus verò  
morbis nullo efficaciori medicamine succurri pos-  
se arbitrantur quàm allio, sive vino adusto; hæc  
enim tantarum esse virium ut quibusvis impera-  
re malis, nescio cujus Æsculapii autoritate addu-  
cti, credant. Defunctos suos ridiculis næniis irri-  
tare conantur, & veluti ad colloquium inane cor-  
pus provocant. Quæ te, meum desiderium inqui-  
unt, crudelitas nostram familiam augere vetuit?  
Aut tu ipse nobis sodalitiū tuum spontè invidi-  
stis? Ceddò ubi non affatim bibisti & comediti? aut  
ubi locorum incærnatus quievisti? Quæ furia. Nu-  
men cælitescq; os tuum quod & mortuum, suavium  
efflagitare

effragitare videtur, obserarunt, quod non respon-  
deas? Eiusmodi inquam gerris exanime corpus  
mirè laceffere solent. Ubi verò terræ sit traditum,  
mæror illis memoriâ facillimè excidit, dumq; pa-  
rentalia pro more instituunt, cerevisiâ quàm la-  
chrymis diffuere malunt.